

05

A

1460





THEORIA METAPHYSICA 9

De
UNITATE,

EJUSQUE DISTINCTIONIBUS POTISSIMIS,

Quam

Adjuvante & annuente Summo Ente,

DEO TER. OPT. MAX.

SUB PRÆSIDIO

Viri Reverendi, Clarissimi, atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS SCHARFII,

S.S. THEOLOGICÆ LICENTIATI, Logices & Metaphysices Professoris Publici, Præceptoris & fautoris sui summo ac debito observantiæ cultu perpetim colendi,

In Illustri ac Celeberrima Wittebergensium Academia Publico examini subjecit

ESAIAS VOGELIUS

CYGNEUS.

Ad diem 15. Octobris

In Auditorio Majori horis à 7. matutinis.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI, ANNO 1635.



V I R I S

*Reverendo, Excellentissimis, Clarissimis,
Celeberrimis, longo rerum artiumq; usu
Experientissimis.*

DN. DANIELI SENNERTO, Philos &
Medic. Doctori, Facultatis Medicæ in Acad. Witteb.
P. P. & Seniori, ut & Sereniss. Electoris
Saxon. Medico dignissimo.

DN. M. REINHOLDO FRANCKENBERGERO
Historiarum P. P. & Facult. Philos. p. t. Decano Spectabili.

DN. JOHANNI SCHAREIO S. S. Theo-
logiæ Licentiato, Log. & Metaph. P. P. simul ac
disputationis hujus Præsidi
longè dignissimo.

DN. M. MARTINO CASELIO S. S. Theo-
logiæ Candidato, & Ampliss. Colleg. Philos. Adjuncto.



*Dn. Promotoribus, Præceptoribus ac Fautori-
bus suis Magnis, omni observantia ac obsequii
studio colendis in debita gratitudinis temperore
hoc Metaphysicum yuvacua reverenter & of-
ficiosissimè consecrat ac offert.*

Autor & Respondens

ESAIAS VOGELIUS

Cygnus.

05 A 1460

Ex Officina Typographica Johannis Rönneri Anno 1760





Auspice Deo Uno!

PROOEMIUM.



Emo, ut arbitror, inveniendus est, qui, modo natura
 Metaphysicorum principiorum delibave-
 rit, ejus prestantiam ac utilitatem non confiteri
 necessum habeat; siquidem ipse Philosophorum
 Princeps Aristoteles eam scientiam cum capite,
 Reginam, ac aliarum disciplinarum Dominam
 salutat. Ab aliis magni nominis viris Aquila, culmen Philoso-
 phia, solis foetus, nubilorum perruptrix deprecatur: quippe
 que sola libera, nulli subjecta, ceteris omnibus scientiis & artibus
 sibi absolute subjectis dominatur, non quidem imperio Practico,
 sed regimine Speculativo. Vnde etiam passim Σοφία & πρῶτη
 Φιλοσοφία celebratur. Mitto vel sexcenta alia, que ipsi alias assi-
 gnari solent. Munia insuper varia ipsi attribuuntur, ut quod
 intellectum nostrum multo erugine obductum, Lydio quasi lapide
 purificet, eumq; in communissimarum rerum cognitione perficiat,
 principiaq; prima demonstret. Et sane si ad discipline hujus Af-
 fectiones nobilissimas progredimur, uberrimus utilitatis campus
 in omnibus scientiis apparet, presertim in Theologia & Philoso-
 phia. Quod dicimus satis elucet, vel ex unica doctrina de Uno.
 Ubiq; necessarium est, ut distinguamus Unum per se ab uno per
 Accidens, Unum Rei ab uno Rationis, Universale Unum ab Indi-
 viduali: imò & ostendamus oportet, quod Unitas non tollat re-
 spectuum varietatem, neq; neget quamvis divisionem partialem
 aliquam, aut inadequatam, aut accidentalem, sed Entitativam:

A 2

quodq;



quodq; Unitas rei non à modis ejus, aut accidentibus, aut respectibus externis, nec semper à forma proveniat, sed simpliciter ab essentia rei. Quæ omnia & alia quàm necessaria sint, quantum conferant ad argutias adversariorum confutandas, Vide sis in Theoria Transcend. Clariss. atq; Excell. Præsidis disput. 6. &c. His ita præmissis, nos in Affectionum summè necessariarum contemplationem descendentes, eas ulterius indagaturi sumus. Primum omnium verò in presentiarum nobis agendum erit de Unitate, quam dispeccimus in tria, capita. In primo collocamus præcepta. In secundo controversias. In tertio canonam explisationes. De quibus ut feliciter disceptemus, à Numine & Lumine, à quo omnia illustrantur, petimus, ut densissimas mentis nostræ tenebras discutere velit, donec hic per enigma videntes in alteram cœlestem vitam transvehamur. Esto ergò in S. S. Unitatis nomine.

CAPUT I.

Continens Præcepta.

THESIS I.

Cum omnis cognitio nostra procedat ac pendeat à præcognitione vocum, ante omnem conflictum, qui fit veritatis indagandæ causa, πρώτων δὲ ἐξετάξεν τα ὀνόματα, & distingvenda sunt homonyma, à quibus tanquam à scopulo cavendum, monente subtilissimo Scaligero. Ne ergò ὀμωνυμία nos aggravet, quo magis pede impedito in sequentibus progredi valeamus, præcipuas Unitatis æquivocationes, variasq; ejus acceptiones primum recensebimus, exindè, quæ ad nostrum imprimis faciunt institutum electuri.

II. Unum communiter sumitur pro singulari, & numero uno, itemq; pro eo, quod tantum est unum, seu solitarium, ut cum Sol dicitur

dicitur unus, una Luna &c. quia videlicet non sunt plures soles, Lunæ &c. Quæ Unitas inducit multitudinis negationem, & quamvis sub unitate transcendentali tanquam aliquis ejus gradus comprehendatur, ea tamen adæquata Enti non est, nec hoc loco πρώτως attenditur. Denotat etiam unitatem numericam, Unum *Quantitativum, Arithmeticum vel Numerale*. At v. aliter Unum in Prædicamentis, aliter in Transcendentibus acceptari, luce meridiana clarius apparet. Ibi est principium numeri, ex quo non tantum fluit, sed & constituitur numerus; & significat partem aliquotam seu integram, vel rectius initium discreti, & sic illis tantum competit Unitas, quibus competit quantitas. Inter Transcendentia verò Unitas significat omnem indivisionem in quovis Ente, adeoque hac unitate transcendentali quodlibet ens unum est, imò & quilibet numerus unus est, licet ex multis unitatibus numericis compositus.

III. Falsum itaq; est *Unitatem Arithmeticam esse Unitatem Transcendentalem*, & supra Ens addere quantitatem. Aut enim juxta opinionem hanc omnia Entia erunt quanta, aut unum non erit adæquata affectio Entis. Utrumq; absurdum. Nam si tantum in quantitate esset numerus, tum Angelus ab Angelo numero non differret, neq; unus esset, adeoque non Ens: nam quatenus aliquid unum est, catenus quoq; Ens est. *Thom. Met. 1. lect. 4.*

IV. Quærere hic solent, *An Ens habeat Affectiones?* sed levius id est, quam ut disquisitionem mereatur. Omnibus notum est, Ens instructum esse attributis variis, quæ ipsi per se insunt: Aliis dicitur Objectum scientificum. Ergò habebit affectiones; omne enim subjectum habet affectiones. *Metaphysica est quædam scientia. At scientia in tribus consistit, Subjecto, principiis, & affectionibus. Rectè Arist. 3. Met. c. 1. Est quædam*

A 3

quædam



quædam scientia, quæ contemplatur Ens, & quæ ei per se in-
sunt, hoc est, affectiones v. g. Unum. Verum Bonum &c.
V. Antequam verò ad Unitatis essentiam seu quidditatem
iaccedamus, duo prius evolvenda sunt. 1. *Materiale* Unitatis.
2. *Formale*. *Materiale Unitatis est ipsa Entitas*, seu res ipsa. *Scaliger. Exercit. 307. sect. 27.* ait. Unitas est affectio Entis, quæ purè
in notione simplici consistit, propterea, quod sine ullo medio
consequitur Ens. Constat autem Unitatem esse affectionem
entis, eamq; adæquatã. Quod comprobatur. Quia quod con-
vertitur cum Ente, & ab ipsius essentia fluit; illud est illius ad-
æquata affectio. Atq; Unitas convertitur cum Ente & ab ipsius
essentia fluit. Ergò Unitas est adæquata Entis affectio. Assum-
ptum colligitur ex Arist. qui asserit Unum & Ens ex æquo de
omnibus dici. Si autem ex æquo dicuntur, sequitur quod in-
ter se convertibiliter enuncientur. Præterea *ex part. Metaph.*
Excell. Dn. Doct. Jac. Mart. pag. 144. ita argumentamur. Ubi est
indivisio in se, ibi est Unitas. Atq; in omni Entitate ut Entitas
est, est indivisio in se. Ergo quoq; in omni Entitate, ut Entitas
est, est unitas. Major sua radiat luce. Subsumtionẽ stabilimus.
Nam si Entitas actu sit divisa, quatenus talis, non est Entitas,
sed Entitates, Quod enim ita divisum est in sua Entitate, id
omne multum est, hoc est, Entia ex uno facta sunt per divisio-
nem Entitativam.

VI. *Suarez disput. 4. Met. Sect. 9 distr. 14.* Unitas transcen-
dentalis est, quæcunq; ratio Entis realis per se, adæquatè & se-
cundum se. Removetur ergò ea Unitas, quæ vel secundum
superiores vel inadæquatos conceptus sumitur. Alia est il-
lorum, quæ specie, genere, conceptu analogico, differentia,
vel alio attributo unum sunt v. g. homo & brutum unum sunt
in animali. Sed quæ Unitas stat cum Entitativa divisione &
multitudine, Illa uti in Entibus divisis dicitur, ita hoc loco
non attenditur, sed illa obtinet, quæ res revera in sua Entitate
propria

propria una dicitur. Reliqua sunt inadæquata, & quodammodo per Accidens unum constituunt. Nos autem hoc loco unitatem adæquatam requirimus, quæ unam essentiam constituit, & per se illi convenit secundum se.

VII. *Formalis ratio Unitatis est Indivisio Entis.* Per hanc enim Unitas ultimatè concipitur, & ab omnib⁹ aliis passionib⁹ adæquatè distingvitur, quæ nihil aliud est, quam ille status Entis, quo idem Ens concipitur, ut aliqua res, quæ sua intrinseca ratione sit indivisa. Sic ergò notatur *Indivisio, non accidentalis*; ea enim v. g. quoad ubi vel locum non tollit Unitatem Entis; *sed Entitativa sive essentialis*, quæ sumitur ratione essentiæ propriæ, ut sensus sit: Unum est, quod in se, hoc est, in sua essentia est indivisum.

VIII. Disputatur autem, *Num Indivisio sit negatio.* Respondemus, quod Indivisio ex parte rei, in qua formaliter consistit Unitas, non est negatio. Quomodo enim negatio potest esse affectio entis, cum omnis negatio removeat, nihilque ponat & sic reducatur ad non-Ens & Ens rationis. Negatio simplex omninò nihil est. Unum verò certum Entis statum, quo se exerit, designat. Ergò Unum & ejus Indivisio non sunt pura negatio. Sed dicunt, si aliquid ponit Indivisio, jam erit aliquid positivi. Verum in promptu est responsio: Non ponit Indivisio aliquid positivi, ut Ens distinctum, sed aliquid rationis ratiocinata, designatq; id in Ente, & in omni Ente, quod sc. Ens, quatenus Ens excludat omnem Entitativam divisionem, id est, multorum Entium coacervationem & omne Ens sit ita essentiæ suæ terminis inclusum, ut ab omni alio sit distinctum. Nec est, quod urgeatur; excludere divisionem Entitativam, esse terminum negativum: Etenim, saltem est terminus apparenter negativus, quemadmodum solemus exprimere aliquam realitatem per modum negationis, quando sc. idoneo destituimur vocabulo, & res ipsa incongrua deprehenditur.

IX. Ulte-

IX. Ulterius considerandum, Utrum hæc verba: *divisum esse ab alio*, possint vicem formalis rationis sustinere? cum quidam valdè pugnent, *Indivisionem Unitatis formale non esse, sed divisum ab alio*. Sed hoc minimè consistere potest, cum hæc verba non respiciant ipsam formalitatem Unitatis, sed saltem dicunt aliquod conequens ex ipsa Indivisione promanans. Cum videlicet aliquid in se, & sua essentia est indivisum, exinde ab aliis est divisum, hac tamen cautela, si alia dantur.

X. Patet igitur ex hæctenus dictis definitio Unius, qualis sit: Non possumus hoc loco in transcendentibus exactas habere definitiones, sed cogimur unum terminum per alium explicare, juxta aliam atq; aliam terminorum habitudinem seu respectum. Esto igitur talis: *Unitas, quæ est unita & adæquata Entis affectio, est indivisio Entis, quæ aliquid in se est indivisum, & divisum à quolibet alio*.

XI. Definitione data, potissimum sequentes Unius varij gradus sive distinctiones notandæ sunt. Primo dividitur in *Unum per se & per Accidens*. Non secus ac Ens est vel per se, vel per Accidens. *Unum per se* nihil aliud est, quam Ens per se, quatenus est indivisum in sua essentia: ubi & *Unum per accidens* est Entis per Accidens indivisio. Sic quando dico, Philosophus Theologus: ibi accidentali modo concurrunt in uno subjecto Philosophia & Theologia, sic etiam Ens per accidens facit unum per accidens. Vide Scheibl. lib. 1. Met. c. 4. tit. 1. n. 9. 10. & seq.

XII. *Unum per accidens* sumitur vel Late vel Strictè. Significatu famosiore unum per accidens dicuntur ea, quæ unum sunt aggregatione, quale unum aggregatione est multorum vel sine ordine vel cum ordine. Illud est, in quo multa Entia sine ulla ratione, & sine omni ordine congeruntur, ut acervus lapidum, tritici, hordei, &c. Quæ tamen unitas est minima: quippe

quippe multa illa congesta nihil omnino novi Entis, sed duntaxat, quod Entis antea habebant, id sibi quoque horum adservat: ideoque novi Entis nihil sibi acquirit. Verum tantum de uno quoque habent, quantum de Ente. Sed aggregatione unum cum ordine est, quo quidem illa multa in unum collecta, nihil sibi conferunt: quia sunt Entia; sed tantum quoad unum aliquod ordinantur e. g. Exercitus ordinatur ad unum, nempe ad Ducem. Sic Respub. est una. Sic unitas mundi dicitur ob ordinem partium inter se.

XIII. Strictè acceptum Unum per Accidens est, quod existit è subjecto & Accidente mutuò informativis. Accidens enim ad substantiam se habet, ut forma ad suam materiam, in qua unum facit compositum accidentale. Quale esse potest triplex: 1. Ut sit ordo subjecti ad accidens, e. g. homo est quantus, mel est dulce. 2. ut è converso sit ordo accidentis ad subjectum. vel 3. duorum accidentium inter se, ut dulce est flavum, quia mel: docente Excell. Dn. Doct. Jacob. Mart. in disp. Met. ex Arist. 5. Met. c. 6.

XIV. Similiter uti Ens per se varium est; ita & Unum per se variè dividitur. Attenditur autem vel respectu sui, vel respectu multitudinis.

XV. Unum per se respectu sui est vel indivisum indivisibile, uti est simplicissimum, quod omni parte caret, nec actu nec potestate multitudinis sit capax, vel est Indivisum divisibile: quale est omne compositum, & omnis creatura ex parte rei existens. Illud rursus dispescimus in summè simplex, quod ut compositum non est, sic nullam quoque compositionem ingreditur. Vocant nonnulli unitatem simplicitatis, & soli primo & summo enti tribuitur; & Simpliciter Simplex, quod licet compositum non sit, proindeque

B non



non resolvable in alia, cum alio tamen ingreditur compositionem, ut Angelis quia essentia ejus suo modo potest dividi, licet non per naturam suam; tamen ab extra, quatenus ejus essentia & primo & summo Ente corrumpitur & ita dividitur. Hoc iterum duplex est, vel per modum *Abstractionis*, vel secundum modum *Designationis* in composito. Illud est, quod maximam habet abstractionem, adeo ut ulterius abstrahi nequeat, quod sit præcisè ipsum, ut Ens quatenus Ens, & differentia ultimarum: Uti hac de re disputat Scotus in 3. parte distinct. 22. Simplex per modum Designationis in composito est, quod in nullas sui partes divisibile est, in composito tamen est; quippe in quavis quantitatis parte designari potest, ut punctum mathematicum h. m. unum est punctum.

XVI. Unum *Indivisum divisibile* est, cujus Unitas sui partes includit: adeoque illud unum actu quidem est indivisum, potentia autem est divisum & multum; quia potest resolvi in suas partes. Et sic omnis creatura est una per se, licet enim illa, quando una est, partes actu diversas & divisas non habet, tamen dividi potest in eas, è quibus est composita. Sic homo unus est, quatenus actu est indivisus ratione suæ essentia: sed tamen per mortem potest dividi in partes essentielles, & sic unitas hominis tollitur, quia ipse homo tollitur. Et ita porro Unitas se habet in corporibus omnibus: itemque in Angelis, quia & hi à Deo possunt destrui, ut ita eorum unitas Entitativa per divisionem tollatur.

XVII. Porro hoc Unum *Indivisum divisibile* est vel *Formale*, vel *Materiale*, vel *Universale*. Unum sive *Unitas formativa* propriè est, quæ per se & immediatè convenit essentia, prout præcitur ab esse, quod habet in Individuo.

dividuis. Hæc Unitas, quia in rebus ante operationem
 mentis, adeoque producta per actionem singularem, quæ nec-
 cessariò terminatur ad aliquod singulare, ideoq; non censetur
 esse commune multis: sed multiplicari ad multiplicatio-
 nem Individuorum, quamvis & illud non habet ex vi uui-
 tatis formalis, sed ex differentia individuali. Unitas hæc
 est fundamentum unitatis tam Materialis, quam Univer-
 salis. Nam consideratur hæc in Ente sive re, quæ ab
 Arist. lib. de interpret. dividitur in Universalem & Singu-
 larem, Res itaque sumitur sub unitate media, sive abstracta
 ab unitate singulari vel materiali vel universali sive com-
 muni.

XVIII. *Unitas Materialis Individua sive Singularis, (quæ
 ab Arist. 3. Met. cap. 14. Numerica vocatur)* consistit in
 indivisione non tantum actuali, sed etiam potenciali ali-
 cujus naturæ seu Entitatis in plures sub eodem nomine & ra-
 tione, hoc est, in quibus tota illa ratio nequit communica-
 ri pluribus ut inferioribus sibi subjectis, sicut declarat *Por-
 phyrus. c. 3. & in primis Arist. lib. Categoriarum cap. 2. &
 alibi* v. g. humanitas præcisè & abstractè considerata in suo
 conceptu objectivo, dicit quidem unum formale; sed non
 unum sive aliquid singulare & individuum, quia conce-
 ptus ille est divisibilis in plures, in quibus tota ratio huma-
 nitatis invenitur: at è contrario hæc humanitas v. g. Socra-
 tis, Alexandri est singularis: quia tota illa ratio nequit esse
 communis multis, quæ sub ista ratione multa sunt, hoc
 est, multis humanitatibus. Atque hinc est, quod *Thomas
 quest. 29. ait. Individuum esse indivisum in se ultima di-
 visione.*

XIX. *Unum hoc Individuale sive Numero* dicitur vel *Posi-
 tive* vel *Negative*. *Unum numero positive* dictum est,
 B 2 quod



quod est unum per differentia proprietatisque numerica
positionem, ut describit Cajetanus de Ente & essentia cap.
3. quale est quantum continuum, cujus partes in uno
puncto indivisibili sunt unum, utpote linea: Itemque *In-*
dividuum singulare, quod aliàs dicitur Unum numero, &
consistit in ejusmodi proprietatibus, quarum collectio in
nullo alio reperitur; nihilque aliud est, quam unitas for-
malis limitata ad hoc, prout incommunicabilis facta est
alijs Individuis, ut Pauli, Petri, Johannis humanitas. *Ne-*
gative Unum numero est, quod quia universale non est, plu-
ra numero non est; quippe quod non includit differenti-
am propriam undè habet numerum, ut materia prima *uti.*
Excell. Doct. Jacob. Mart. disput. Met. d. 1.

XX. Et hæc quidem unitates enumeratae reales sunt Entis
positionem sine mentis nostræ concursu sequentes, Verum
Unitas Universalis tantum per operationem intellectus ex-
surgit; nihilominus quia aliquatenus imitatur naturam &
conditionem Unitatis, & opponitur unitati numericae; op-
positorum verò eadem est doctrina, de hac ipsa etiam Unita-
te Universalis tractandum hoc ipso loco est, ut ab alijs probè
discernatur.

XXI. Ad Unitatem Universalem constituendam duo
concurrunt, *Indivisio & Communisabilitas*. Illa summè est ne-
cessaria ob rationem Unitatis, nam si Universalis natura non
sit actu indivisa, non erit una, sed potius multitudo & aggre-
gatio rerum singularium. Hæc verò ob Universalitatem, nam
si eadem hæc natura non sit apta esse in pluribus, non erit Uni-
versalis, sed singularis. Quod ad Indivisionem spectat, est qui-
dem in rebus quædam similitudo & convenientia in essendo,
nempè quæ in Unitate formali consistit; nihilominus ipsæ
res sunt simpliciter actu divisæ, & non nisi fundamentaliter
unibiles in una natura præcisè concepta. Verum ut indivi-

fio

W

eo propria cuiusq; Entitatis: ita etiam Unitatis Universalis est actuali, nec cadit in illam una divisio, nisi pure potentialis.

XXII. Quod verò communicabilitas non nisi ab intellectu sit, id ex eo liquet: quia à parte rei nihil est, nisi Individuum. Nam licet in quolibet individuo formalis sit unitas; illa tamen ad individui rationem est actu limitata & determinata, utpote producta per actionem singularem, quæ consequenter necessario terminatur ad aliquid singulare. Quæcum ita sint, quilibet intelligit, quàm absurdè disputent, qui *universalia extramentem sive intellectum* in ipsis rebus ponant: quippè quæ in rebus singularibus non sunt, nisi per identitatem cum ipsis. Non enim datur homo, qui non sit singularis, neque universale animal, neq; vivens, neq; corpus, neq; substantia Universalis seorsum existit, sed omnis substantia est hæc substantia singularizata, & omne corpus est hoc corpus: Et par est ratio de Accidentibus cum substantia productis: talis verò natura identificata in uni Individuo non potest eadem secundum rem & existentiam realem identificari cum aliis, ut ex se patet. Certum itaq; est, quod Unitas Universalis solum per functionem intellectus fiat, sumto fundamento ex ipsis singularibus: nempe quatenus in illis essentialis quædam similitudo, quæ postmodum in mente concrevit per indivisam unitatem, & sic universalia aliud esse non habent, nisi in intellectu, quod tamen intelligendum est de Universalium formali ratione: si enim materialiter acceptentur, æquæ ac res subjectæ sive substratæ huic denominationi in rebus revera existunt. Quis enim negaret hominem actu existere extra intellectum, Sic animal, imò ipsam substantiam quis negaret, quæ aliàs genus generalissimum, & sic maximè universale est.

XXIII. Caterum huc referri solent *Univocum & Analogum*. Illud est, quod pluribus ex æquo est commune, & æqua-

liter tribuitur multis, & est vel *Species* vel *Genus*: unde dicuntur *unum genere*, quæ sunt sub uno genere sive proximo sive remoto; itemq; *unum Specie*. *Unum specie* dicuntur individua quatenus in una specifica essentia conveniunt. Sic Petrus Paulus, Maria, & reliqua individua humana dicuntur *Unum quid*, quatenus in humanitate eadem conveniunt.

XXIV. *Unum Analogum* dicuntur ea, quæ analogicè conveniunt, vel quod secundum analogiam multis tribuitur: sive id contingat juxta relationem multorum ad unum, quomodo respectu corporis sani dicuntur sana, cibus, color, motus, urina &c. sive secundum relationem multorum inter se: quomodo substantia & Accidens sunt unum Analogum. Et hoc Unum Analogum variat pro diversitate analogias: quæ est vel Proportionis vel Attributionis. *Illæ* est inter ea, quorum est idem commune nomen & eadem ratio proportionaliter, vel similis ratio. Quæ ut rectius intelligatur sciendum, quod proportio sit habitudo unius ad aliud qualis est inter hominem & pratum, dum hoc virore herbarum, & amænitate florum vultus humani hilaritatem & risum imitatur. Juxta illud Poëtæ: Omnia nunc rident nunc formosissimus annus. *Analogia attributionis* est unius ad alterum, vel plurium ad unum. Sunt autem Analoga secundum attributionem, quæ præter habitudinem, quam petunt à suis analogatis quandam adhuc important dependantiam unius ab altero; ita ut posterius non nisi per ordinem prioris ad ipsum sortiatur commune nomen & rationem analogati. Hæc autem neq; Univoca sunt neq; æquivoca, sed revera analogæ. Non Univoca, nam sola attributio unius ad alterum & plurium ad unum, Univocationem tollit: quippè quæ est attributio æqualis, proindeq; vel ordinem vel independentiam non admittit. Non sunt æquivoca, quia in his analogis est attributio significatorum. Ubi autem hæc est, ibi non est æquivocatio nominis:
cum

10
cum eis aliquid præter nomen sit commune: Illa nimirum
similitudo & convenientia, quam facit attributio. Quia au-
tem hæc neq; Univoca neq; Æquivoca sunt, analogæ sint ne-
cesse est; cum inter Univocum & Æquivocum nullum da-
tur medium, præter Analogum. Non verò hic analogia Pro-
portionis est; quippè quæ tantum in habitudine externa ex-
istit, hæc autem insuper requirat dependentiam unius ab al-
tero. Ergo Analogia Attributionis rectè dicitur, qua de re
Suarez disput. Met. 28. sect. 3.

XXV. Sic fuit unius varietas respectu sui: sequitur Unum
respectu Multitudinis. Est autem multitudo rerum divisio,
per quam Entia multiplicantur, & inter se divisa sunt. Ut enim
Unitas dicitur, quæ in se indivisa est, ita multitudo dicitur
quæ in se divisa est. Dicitur autem Vnum respectu
multitudinis vel *affirmative tantum*, quomodo unum
est omne Ens, quod duntaxat negat divisionem: non verò
exinde statim removet, aut negat alia similia ejusdem naturæ,
generis vel speciei. Sic Petrus est unus, licet plures sint homi-
nes quam Petrus: *vel affirmative & exclusive simul est* aliquid
unum: quale est id, quod excludit consortium aliorum simi-
lium. Sic Sol est unus, quia plures specie soles non dantur:
Sic coelum est unum. Sic Deus est unus, quia præter ipsum,
nullus & alius. De his pluribus videatur Excell. Dn. Doct.
Jacob. Mart. in disput. Met. 3. de Vno. Sed tamen hic unitas
tantum sumitur *affirmative*, cum *Unitas Metaphysica non ne-
gat similia, sed divisionem in se.*

XXVI. Deniq; distingvimus *Unitatem æquivocè in Rei & Rationis.* Unitas rei est, quando res extra mentis operationem
est indivisa: sive sit simpliciter talis & Univoca sive Analogæ.
Vnum rationis non est ipsa rationis intrinseca veritas, sed *tran-
sitiva*, quæ & *objective & consequenter à ratione est.* Sic in-
tellectus *cambinat montem & aurum.* Unde exsurgit mons
atireus

aureus, qui est unus per nudam rationem ad modum Entis per accidens. Sic in arte memorativa locali constitutio imaginum, earundemq; animatio, & ad locum applicatio sunt unum, sed nuda unitate rationis; quia à mente sunt objective, & nuda comparatione ad res existentes fiunt.

XXVII. Tandem Unitas consideranda venit in oppositione. Difficile verò est de opposito Unius aliquid determinare. Quia enim omne Ens est unum, ita ut unitas sit affectio Entis unita & simplex, id sanè quod unitati opponitur, erit Non-Ens. Ergo non datur Non-Unum. Interim possumus dicere, quod non-unum contradictoriè opponatur Uni, tanquam Non-Ens, Enti. Alij sunt in hac sententia, quod Unum opponatur multo, ut pars suo quasi toti, vel ut Ens per Se Enti per Accidens: Multum enim tanquam Ens per Accidens constat pluribus Entibus per se, tanquam quasi principijs, quorum quodlibet sua gaudet Entitate. Vulgaris quidem opinio est, quod multum sive divisum opponatur uni, sed quomodo dubium est. Dn. Gutk. asserit, quod opponatur multum Uni tanquam affectio affectioni, non verò tanquam membrum directè oppositum. Excell. Doct. Jacob. Mart. in prelect. Met. priv. c. 8. ait: Unitati opponitur multitudo, non affirmative, ita ut cum ipsa faciat affectionem disjunctam; sed Negative, & sic contradictione ita, ut multitudo, quæ talis, tollat omnem unitatem & sic consequenter Entitatem. Nobis hac vice sufficit, quod multum inferat aliqualem privationem Unitatis, adeoque oppositio privativa locum hic habere possit. Item quod multitudo ad Unitatem reducatur: quippè quæ propriè affectio Entis, quatenus omne Ens est unum, non est. Quando enim ad multitudinem devenit, jam non Ens est, sed plura Entia. Quæ etiam ipsa & plura simul & Ens nequeunt esse, nisi ad Unitatem quandam redigantur. Vide Suar.

Suar. disput. Met. 5. sect. 4 §. 6. & Excell. Doct. Jac. Mart. in
part. Met. lib. 1. sect. 39. 7. 8. & 9. Et hæc de Unitatis quiddi-
tate seu distinctionibus, sequuntur controversiæ.

CAPUT II.

Continens Controversias

I.

An Unitas sit affectio Entis?

UT quidem certissimū est Ens habere affectiones, ita tamen
zimeræ in Theoremate assensum suspendit, eò quod Arist.
4. Met. c. 2. Ens & Unum simul generari dicat, subjectum ve-
rò & affectiones per eundem non simul generentur. Verum
ad hanc zimeræ objectionem respondent alij: *Affectiones En-
tis duplices esse: Rei, & Demonstrabiles.* Non illius, de qui-
bus illud zimeræ verum, sed hujus generis Enti subjecto no-
stro competere, ex Javello 5. Met. Suar. disput. Met. 9. § 27. q. 1.
Et hæc est communis responsio. 2. Rectius cum Masio lib. 3.
de Ente & propr. in fin. c. 2. ad zimeræ rationem ita responde-
mus. Nulla affectio simul cum subjecto generatur, scili-
cet simul natura, sed tamen tempore. Ergò zimeræ
nihil concludit. Nec est, quod ad hanc responsionem quis
excipiat tali modo, quod hac ratione nihil relinquatur discrimi-
nis inter Entis & aliorum subjectorum proprietates, dum
illæ cum Ente æquè ut hæc cum suis subjectis simul oriuntur
tempore, non natura. Dispar enim ratio est, siquidem prio-
ritas naturæ, quæ intercedit inter subjectum, & alias proprie-
tates, est prioritas causæ efficientis physicæ secundum actum.
Hæc vero quæ intercedit inter Ens & ejus proprietates ratio-
nis formalis, vel causæ in essendo secundum virtutem. Sic
fuit

C

fuit

fuit zimeræ sententia negativa. Nos verò firmiter statuimus Unitatem Entis affectionem esse. Nam in omni Ente est indivisio atque ita unum Suar. disp. 3. f. 4. § 3. Rectè Plato in Parmide: neque Ens uni, neque unum Enti deest, sed duo hæc potius per omnia coæquantur, cum Arist. 4. Met. c. 2. Ens & Unum se invicem sequuntur. Et 10. Met. c. 7. Quod non est unum non est Ens. Et cum Dionysio de divinis nominibus c. 13. lect. 3. nihil est existentium non participans uno. Itaque satis perspicuè atque dilucidè probavimus, Unitatem revera Entis affectionem esse, quia catholicè de Ente enunciatur, licet ejus Symonymum non sit, cum ipsi aliquid, nempe indivisionem, superaddit.

II.

Quid Unitas Enti superaddat?

Quæstionem hanc adeò intricatam & perplexam faciunt autores, ut vix satis explicari possit. Cedim⁹ autem in opinionem Arist. 5. Met. c. 9. Sonc. lib. 4. q. 23. Armand. de Bello visu c. 15. Savan. lib. 1. epit. phys. concl. 29. quod scil. unum præter indivisionem seu divisionis negationem nihil supra Ens addat. Eò enim formaliter constituitur unum, per quod opponitur multitudini: quia eorum oppositio est per rationes formales. At per indivisionem, seu divisionis negationem, unum multitudini opponitur. Ergò per hanc etiam, formaliter constituitur, & hanc Enti superaddit. Thomas hanc negationem part. 1. q. 11. Art. 1. vocat privationem, idem facit Arist. 4. Met. c. 6. & autores fermè omnes: ut ita scias, qua ratione hoc faciunt, & quomodo hæc negatio cum privatione conveniat, & ab eadem differat, sequentia probè sunt notanda: *negatio hæc non simpliciter significat privationem,*
quia

100
quia si hoc, in quolibet gradu Entis danda esset potentia ad
illam divisionem, cujus negationem unum transcendens in-
fert, quod falsum esse hinc constat, quod in Deo & omni uno
indivisibili nullum locum habeat hæc divisio, sed consequenter
quodammodo eam significat, & ad modum privationis se habet.
Ut enim privatio non significat negationem absolute, sed in
aliquo subjecto reali, ita unum, quod est passio Entis, signifi-
cat negationem divisionis, quasi addendo illam Enti reali,
quod connotat: & ideo non-Ens seu nihil, quatenus tale est,
neque unum, neque plura dicitur, quamvis negatio divisio-
nis absolute sumta illi possit tribui: quia non-Ens indivisum
est. Entia autem rationis seu ficta in tantum æquivocè di-
cuntur unum & multa, in quantum æquivocè Entia sunt, vel
ut Entia concipiuntur. Vide Ægid. lib. 4. Met. c. 2. q. 3. Fons.
lib. 4. c. 2. q. 5. s. 5. Suar. disp. 4. s. 1. s. 19. sed contra disputant
alij variè. Scotus 4. Met. q. 2. dist. 3. q. 2. ab uno positivum re-
ale Enti superaddi contendit. Quam opinionem Banconius
1. sent. dist. 33. q. 1, art. 2. Antonius And. 4. Met. q. 3. decem &
quatuor rationibus propugnat. Vbi tamen notandum est,
quod supra, posuimus Metaph. Subjectum esse Ens, præter
quod nihil est; & sic colligimus: I. Cum passionem Entis
aliquid addant supra Ens, non possunt addere aliquid positi-
vum reale, quod est Ens, quia illud totum sub suo continetur
Subjecto. Ergo vel addunt aliquid, quod de eo negetur, vel
illi tribui non potest: atque illud est indivisibilitas, quam V-
nitas transcendentalis infert, vel addunt aliquem respectum,
ut Verum & Bonum. II. Si unum enti aliquid superaddit
reale positivum ab ente realiter diversum; erit illud Ens, nam
omne reale positivum est Ens. Si Ens, ergo unum, quia omne
Ens est unum. Jam quærimus de hoc, utrum per se, aut per
aliquid additum, Si per se, quid causæ, quod hoc de primo

Ente non concedant? Si per aliquid additum, erit hoc quoq;
Ens, & hoc Ens unum atq; sic dabitur progressus in infiniti-
tum, Vide Thom. c. l.

III.

*Num differant Unitas formalis &
Materialis?*

Unitas *formalis* est, quæ per se & immediatè convenit
essentiæ, prout procedit ab esse, quod habet in individuis.
Quomodo omne quod definitur, est unum. Definitio enim
hominem, non quatenus homo est universalis, sed quatenus
in sua forma, spectatur. Sed Unitas *Materialis* sive *Indivi-
dua*, (quæ Arist. 3. Met. t. 14. vocatur *Numerica*) consistit in
indivisione non tantum actuali, sed etiam potentiali alicujus
naturæ seu Entitatis, in plures similes sub eodem nomine &
ratione, id est, in quibus illa tota ratio includitur. Ergo dif-
ferunt non realiter, sed ratione. Item Unitas *formalis* datur
in rebus extra operationem mentis; & est fundamentum
tam *Materialis* unitatis, quam *Universalis*. Itemque Uni-
tas *formalis* attenditur in *Ente* & *Re*, quæ ab Arist. de Inter-
pret. dividitur in *Univetsalem* & *Singularem*, vel sub unitate
media, sive abstracta ab unitate *materiali* & *universali*. Et
ita Unitas *Materialis*, quia contracta est ad *singularem*, sta-
tim repugnat *communicationi* & *multiplicationi*: sed Uni-
tas *formalis* est *indifferens*, & præcisè sumitur in ea *essentia*
propria & *absoluta*.

IV.

An Universalia sint extra intellectum?

Circa hanc quæstionem notari monemus, in omni U-
niversali duo consideranda esse: *ένωσις* sive unitatem ipsam,
&

W

& *non* communicationem. Ubi enim hæc simul non dantur, ibi etiam universale locum habere nequit. Breviter hanc quaestionem enodamus. Existunt universalia extra mentem materialiter in suis objectis, formaliter & ut universalia in mente, & hinc ad quaestionem Negative, usitate & recte respondemus. Illa enim singularia à quibus desumuntur, habent naturam rei, Universalia verò modi.

V.

An relatio sit vera relatorum unio?

Uti difficillima hæc quaestio est, ita & scitu necessaria. Keckermannus definit relationem, quod sit duorum plurium unio. Quod meritò refutat Rev. Cla. atque Excell. Dn. Doct. Jacob. Mart. in prælectionibus Antikeckerman, lib. 1. Sect. 1. c. 12. hisce rationibus. Quia descriptio illa est latior suo definito: utpote mixtio est unio, non tamen est relatio. Nec quidquam juvat Keckermannum, quod ille Mant. nuper scripsit, esse imperfectam definitionem. Sic enim errorem Keckerm, eo magis propalat, cum omnis descriptio vera debeat naturam rei sufficienter exprimere, quod nequaquam fit imperfecta Keckermanni definitione. Omnino prorsus falsa est. 2. Quia Relata non sunt unum, & illorum non est unio. Argumentamur hunc in modum:

Quaecunque opponuntur, illa non sunt Unum

At relata opponuntur,

E. relata non sunt unum.

Porrò: Quaecunque non sunt unum, illorum non est unio.

Relata non sunt unum

E. Relatorum non est unio.

Contradictio: Unio, non Unio

C 3

Sed

Sed quid ille Mant. respondeat, attende. Dicit esse ignoratio-
nem Elenchi, non enim quæri, an relatio sit Unum, Sed an
sit Unio. Unionem verò & unum differre, sicut relatio & re-
latum. Hæc ille. Vbi hominis temeritatem miramur. Non
audet negare præmissas sive propositiones, ob evidentissi-
mam earum veritatem: fingit ergò ignorantiam Elenchi.
Sed quomodo id esse potest, cum directè concludatur quæ-
stio, & manifestò contradicatur Keckermanno. Ait enim
Keckerm. Relationem esse relatorum unionem. Huic dire-
ctè contradicitur ita: Relatorum non est unio. E. nec relatio
est unio. Cur ergò Mant. ita ineptis, ut fingas ignorationem
elenchi, ubi apertè contradicitur, & tollitur thesis Kecker-
manni. Cur autem dicis, non quæri an relatio sit unum, sed
an sit unio? Nihil enim te iuvat illa distinctiuncula, nec con-
tra nos est. Licet enim Unio & Unum aliquatenus distin-
gvantur, ita tamen cohærent, ut sine unitate nequeat esse
unio, nec unio vera esse queat inter ea, quæ non unum
aliquod constituunt. Ergo hoc urgemus. Quia re-
lata, ut talia, non faciunt unum, ideò nec illorum, ut ta-
lium, est unio. Quod, si relata per se non faciunt unum,
nec relatorum est unio, quomodo stare poterit Keck. defini-
tio, Relationem esse unionem? Anne poterit unio vera esse
inter ea, quæ non sunt unita? Absurdum. Vides ergò, quo-
modo directè thesis Keckermannii fuerit everfa. Imò ut di-
cam, quod res est, mala fide egit Mant. ille: quia in suo libel-
lo refutatorio omisit primarium Excell. D. Jac. Mart. argu-
mentum. Ibi enim saltem habet Prosyllogismum, in quo
probat & concluditur, relata non esse Unum: sed alterum,
quod directè oppugnat adversarium, quodque concludit, re-
latorum non esse unionem, occultat, atque omittit. Scil.
hæc erat altera irrefutabilis argumentatio

Quod-

Quaecunq; non sunt unum, illorum non est unio.
Relata non sunt unum. E. Relatorum non est unio.

Hoc, inquam, furtim præterit, & fraudulenter omittit.
Quod crimen falsi, cum & in aliis passim ab illo litigatore
committatur, satis ostendit, quâ fide sit præditus.

VI.

*Utrum Singulare aliquid superaddat naturæ
communi, ut sit singulare?*

Singulare in mundo dari à nemine in dubium vocatur,
ideo paucis nos expediemus, quidnam naturæ communi su-
peraddat. Statuimus, quod omnia Entia creata determinan-
tur ad esse singulare, per differentiam individualem. Sicut
enim species contrahit genus adesse specificum per differen-
tiam specificam: ita etiam individua contrahunt commu-
nem sive universalem naturam adesse individuum. Unde sic
creatum individuum componitur Metaphysicè ex naturæ
communi & differentia individuante. Estque fundamen-
tum ibi hujus compositionis satis clarum, quod omnia indi-
vidua creata habent naturam, cui non repugnet, ut detur
huic similis, atque adeò quæ actu possit esse in multis. Et
hinc in individuo sumitur alter terminus hujus composi-
tionis, nempe natura communis. Rursus de facto illa na-
tura sumitur in Individuo, ut incommunicabilis & indivi-
sibilis ad plura individua. Ergò sic habetur in Individuo &
alter terminus illius compositionis, faciuntque hæc com-
positionem in individuo, ad eum modum, quo id fieri
debet nempe per esse & essentiam, naturam & suppo-
situm. Et tantum de hoc Capite. Progredien-
dum est nobis ad caput tertium.

CAPUT

CAPUT. III.

Canonum explanationes exhibens.

I. Unitas essentialiter implicat ipsam essentiam rei.

Hoc manifestò constat ex dictis. Non enim aliud quid est Unitas ab Ente, sed ipsum Ens, ut est indivisum: non secus ac arte facta non significant nudam formam, sed una dicunt ipsam materiam. Quod si non esset, utique prædicarentur univocè, quæ eandem formam participant, sine materia eadem: Hoc autem non fit, ut patet de ferra ænea & ferrea. Similiter unitas non dicitur univocè de *Reali & Rationali*, quia Ens de se involvit illa: Hæc verò non.

II. Quod non est unum, illud ne est quidem.

Quia scilicet unitas est adæquata Entis affectio, ita ut omne Ens sit unum. Si itaq; quoddam Ens non est unum, est multiplex; si est multum, non est divisum in essentia. At si est divisum in re ipsa, utique etiam erit divisa Entitas. At ubi sunt divisæ Entitates, ibi jam non est Ens, sed Entia, & coalitio plurium Entium v.g. Domus una dicitur, quatenus in se indivisa; quando verò dividitur, ita ut tectum separetur à parietibus, & hi sejunguntur à fundamento, non sanè manet Domus, sed fuit, & unitate domus sublatâ, tollitur una ipsa essentia domus: Sic olla una est, quæ non est divisa ratione sui esse, sed quando frangitur & dividitur in varias portiunculas, non est amplius unum quid, sed multa olla, hoc est non-olla, & sic in aliis. Sic homo unus est, qui ratione suæ essentiæ humanæ est indivisus. Quod si per mortem anima rationalis dividatur ab homine, vel si homo decolletur, ut dividatur in caput & truncum, jam non amplius erit homo: sed

sed divisus homo, seu est multus homo, hoc est, non homo.
Et si talis concursus plurium Entium ab unitate non sustente-
tur, omnino nihil erit.

III. *Unius quidditas est essendi indivisibilitas.* Hoc est,
Unitas formaliter consistit in indivisione essentiae: Vel
Unitas in adæquato suo conceptu dicit Entitatem ipsam,
ut est indivisa: quemadmodum in thesibus inclaruit. Ut
enim quantitas dicitur & una est ob quantitatis indivisionem
v. g. lineæ, sic quoque Entitas & essentia quævis dicitur
una per indivisionem.

IV. *Unum non opponitur communicabili, sed divisioni.*
Non enim dicit communicabilitatem, sed indivisionem
essentiae. Sic v. g. homo est aliquid unum, & tamen est
commune Petro, Paulo, Casparo & cæteris omnibus alijs
individuis humanis. Atque hoc probè observandum mo-
nemus contra Photinianos, qui ex unitate divinæ essen-
tiæ concludunt eandem non posse esse communem tri-
bus personis. Quod si excipiant, se tantum intelligere
de Uno singulari, quando statuunt, quod unum excludat
communicabilitatem, Respondemus sententiam hanc fal-
sam esse, quia v. g. hæc manus est aliquid singulare com-
municabile & pugno & palmæ, & tamen non est divisibi-
lis, sed est una.

V. *Unum non differt ab Ente nisi formaliter.*

Hoc ex supra dictis innotescit, quod non distinguantur
realiter. Quia tamen unitas est affecto Entis, aliquo
modo ex natura rei distinguatur ab ipso oportet: & qui-
dem non alia distinctio, quam formalis, sive rationis ra-
ticipinata hic obtinere potest, Vel ut Excell. Doct. Jacob. Mart.
in prælectionibus Met. privatis lib. 1. c. 8. ait. Unitas di-
stinguitur ab Ente i. *radicaliter ratione negationis divisio-*

D

nis.

nis. Negationem divisionis Enti superaddit, adeoque per illam ab Ente & cæteris attributis distingvitur, radicaliter, h. e. per proximum fundamentum, radicem & originem istius distinctionis. 2. *Formatiter* non per solam negationem divisionis, sed per Entitatem ut indivisam.

VI. Universale actu ante operationem mentis non est

Quomodo hic canon intelligendus sit explicationi subiiciemus. Quod universale actu sit universale, necessum est, ut sit indifferens ad plura, & ad ista æquabilem habeat aptitudinem. At sic esse non potest aliquid in re ante operationem mentis. Antecedens apparet: quia vel illam indifferentiam haberet extra singulare, vel in singulari. Non hoc. In singulari enim est coarctatum per individua-lem differentiam. Non igitur hic est amplius indifferens ad hanc differentiam. Neque est indifferens ad alias differentias, quia dum conjungitur cum differentia individuali, ponitur per eam repugnantia ad multitudinem. At repugnantia ad multitudinem aufert universalitatem actualem. Neque etiam eam differentiam habet avulsum à singularibus, quia universalis, in tali statu esse non possunt. Relinquitur igitur, quod universale, ut sit actu tale, sic fiat per operationem mentis.

VII. Compositum per se unum actu indivisum Ens est.

Quæ compositio ex materiae & formæ notitia satis sit dilucida. Vocatur autem essentialis compositio per quam plures partes intrinsecus ununtur, ut faciant unam essentiam. Talis compositio est in homine ex corpore & anima, quæ constituit essentiam humanam. Idemque est

11
est in omnibus corporibus, quæ necessario implicanc
materiam & formam. Quod autem hæc satis distincta
sint, ut possint facere realem compositionem, apparet,
quod materia & forma separari possint, ita est in sepa-
ratione animæ humanæ à corpore. At Entia realiter di-
stincta sunt, cum uniuntur, faciunt realem compositionem,
quæ actu est indivisa, sed tamen potest dividi.

VIII. *Unum Numero & Unum Singulare inter se non
differunt.*

Nam singulare superaddit Enti non nisi negationem
communicabilitatis. Hæc autem in genere est indivisio.
Ergo sic singulare, quia est aliquid unum, est aliquid in-
divisum. Quia autem est unum tale, nempe singulare,
ideò est indivisum numero: hoc est singulare ita dicitur
unum, vel unum numero, ut non possit dividi in plura
numero distincta. Sic Deus absolutè est unus numero,
quia solus est & præter eum non est alius Deus. Vocatur
alias hæc negatio incommunicabilitas. Sumitur enim
ex oppositione ad universale. Universale enim est, quod
est unum commune. Singulare igitur erit, quod est Unum
incommunicabile, seu non commune multis. Hactenus
igitur breviter ostendimus Unitatis quid-
ditatem, distinctiones generales, con-
troverfias ejusdemque ca-
nones.

*DEO Triuno sit Laus, Honor & Gloria
in sempiterna secula.*



Ad Humanissimum & Doctissimum
Dn. RESPONDENTEM.

Esse Unum Transcendens non intelligit ille,
Qui curat vulgata: e contra doctior ille,
Qui bene distinguit Transcendens à Numerali
A Logico, idq̄ facit Logicus Metaphysicus. Hujus
Doctrina instructus de Uno ratione putabit
VOGELIUS bene distincturus & illud & hocce
Et responsurus bene, quod J O V A bene vertat.
Propositum collaudo tuum. Distinguere perge
Hinc bene respondere modo meliore, docebis
Et bene, sicq̄ Bonum augebis commune Scholarum.

M. Reinholdus Franckenberger
Histor. P. P. & p. t. Collegij Philo-
sophici Decanus.



HÆc Sophiæ laus est, trutinare cacumina rerum,
Ut benè distingvat quicquid is orbis habet.
Transnaturalis quæ sic sapientia scandit,
Omnia sub certâ lege vocata docet.
Hoc agis, hoc studium constanter perge VOGELI,
Et quæ nunc spectas, præmia digna feres.

J O H A N N. S C H A R F I U S
S. Theol. Licentiat. P.

Ad

Ad Ornatissimum Dn. Respon-
dentem.

I fortunato felix pede, & exere pectus
Nobile, præclari roboraq; ingenij.
VOGELI, spes nostra, animis que erecta cupido
Indidit, & studiis inveteratus amor:
Quò dudum ad decora ac laudes grassaris eundo,
Atq;ve pias artes sollicitare soles.
Tales Hyblæ volucres pascuntur Hymettum,
Mox ponunt dulces in medium lacrymas.

M. Joh. Ericus Ostermanus,
Coll. Phil. Adjunctus.



אֲשֵׁרֵי אִישׁ הוֹרֵךְ בְּחִכְמוֹתָ

חֲכִמֵי-לֵבָב יְיָ - - - בְּמַצוֹתָ

לְמוֹדֵיָם רוֹמֵם יְיָ - - - זֵלִילָהּ

הוֹגֵה דֶרֶךְ הַ - - - כְּלִילָהּ:

כִּי עֲלִיוֹן יָבֵן שָׁכְרוֹ

לְשִׁמְחָה גַם בְּ - - - עֲמָלוֹ

כִּי מִצוֹת מוֹרִים בִּידְךָ

כִּי אֲשֵׁא קוֹלִי לְהוֹדֶךָ:

תְּהִי



הַיְהִי רַב שְׂכָרְךָ

פְּעָלֶיךָ

לְרֵאוֹת טוֹבֶתְךָ בְּ - - - עַמְּלֹךָ

גִּיל עַל-כֵּן יִהְיֶה

בְּגִילֶךָ

שִׂישׁ עַל בִּינְה בְּ - - - מְחֻלֶיךָ

כְּעֵץ שְׁתוּל עַל - - - פְּלָגִים

פָּרַח פָּכַח בְּ - - - חֲכָמִים

תְּצוּץ הַבְּחֹר

בַּהוֹרֶךָ

יָבוֹא פְּאוּרָה

כְּבוֹרָה

*Ἰῆς πολυφιλίας ἕνεκα Prestantissimo ac Doctissimo
Dn. Respondenti, amico & contubernali
suo per dilecto adposuit*

M. Jeremias Olischerus Elnbo-
gensis, S. S. Theol. Stud,



Ich habe die
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...

Ich habe die
 ...
 ...
 ...
 ...



VERBODEN TOEGANG

DONATIAKARLINO CARBILIO

05 A 1460

ULB Halle

3

003 777 871



1077







Farbkarte #13

B.I.G.

9

TAPHYSICA

A T E,

STINCTIO-

ISSIMIS,

Summo Ente,

T. MAX.

SIDIO

atq; Excellentissimi,

S SCHARFII,

TI, Logices & Meta-

Præceptoris & fautoris

bservantiæ cultu

plendi,

tebergensium Academia

ni subjicit

O G E L I U S

U S.

Octobris

oris à 7. matutinis.

RGÆ,

NIS RÖHNERI, ANNO 1635.